DE PRIMARIIS QUIBUSDAM IN MEDICAMENTORUM VIRIBUS RECTE AESTIMANDIS DIIUDICANDISQUE IMPEDIMENTIS AC DIFFICULTATIBUS,

TRACTATUS.

AUCTORE

CAROLO FRIDERICO GODOFREDO TRINKS

MED. ET CHIR. DOCT.



LIPSIAE

SUMTIBUS RECLAMII

1823.

INTRODUCTIO.

Omnibus omnino hominibus, etiam cultu politiore haud subactis, innata quaedam est cupido, corporum naturalium qualitates atque vires cognoscendi, quo, cognitis iis usuque earum perspecto, partim emolumenta sibi parare, partim utilitatem communem aliquam assequi possint. Simili modo sensus quidam obscurus eos appetere docuit res ad servandam corporis incolumitatem necessarias, nutrimenta imprimis ad famem sitimque explendam, et integumenta, quibus corpus adversus climatis tempestatumque injurias apte tuerentur. Hoc modo homo rudis omnia, quae ipsi videbantur pernecessaria esse ad vitam sustentandam, ex gremio naturae, thesauros suos larga manu spargentis, requirere coactus fuit. Per longius autem tempus unius ejusdemque nutrimenti continuatus ac protractus usus fastidium ei tandem ciebat; hinc alius nutrimenti novum desiderium exortum est, indeque factum, ut alimentorum numerus et paratio sensim sensimque accresceret, hominesque, illorum paucitate postea haud contenti, quae regnum vegetabile largiretur, animalem victum, ad quem natura non minus apti essent, expetere inciperent. Exinde cum hominum numero in dies adaucto, nutrimentorum quoque ex naturae regno, quod dixi, copia immense adaucta est. Neque tamen prohibere potuerunt conditiones, sub quibus homines in variis climatibus vitam degebant, neque nutrimentorum simplicitas, neque coeli salubritas serenitasque, neque regionum solique, quod colebant, indoles, neque negotia ab iis suscepta, quo minus variis potentiis nocentibus, vel extra corpus, vel in eo ipso positis, aut aliqua ejus evolutione, aut

ipso tempore procreatis, firma eorum valetudo labefactaretur infringereturque. Itaque quemadmodum homines omnia, quae ad corpus nutriendum necessaria essent, parata a natura habebant, adversus morbos quoque, quod celerius in iis necessarium esse videbatur auxilium, ab illa repetierunt. Neque fefellit eos spes. En terram, tot tantisque divitiis instructam atque dotatam, quae omnia, quibus homini ad vitae incolumitatem servandam fractamque valetudinem restituendam opus erat, largiri etiam potuit, quorumque opibus nos quoque adhuc grati fruimur. Ipse igitur status morbosus, qui, quo minus corporis actiones secundum normam perficerentur, impediret, vel haud raro summum vitae periculum minaretur, instigavit aegrotum, ut auxilia quaereret, quibus sanitas laesa promtissime restitueretur. Nutrimentorum consuetorum in morbis fastidium opinionem fecit, naturam alia ac illa praebituram esse, quae aegrotanti corpori magis minusve mederi possent. Cibis igitur abstinebant aegroti, et mutata vivendi ratione leviores morbos saepius solo naturae beneficio depulerunt. Antiquissimae artis medicae regulae diaetam mutatam eamque parcissimam imperabant, imo saepius ab omni nutrimentorum genere abstinentiam. Facta deinde hominum in familias coitione et exorta arctiore inter eas necessitudine, omnium virium intentio mirifice aucta, quo vitam sibi invicem jucundiorem et securiorem redderent. Hinc multa cum in omni artium genere inventa, tum haud pauca auxilia contra morbos mechanicasque corporis laesiones vel fortuito casu vel meditatione detecta, quorum, quum in similibus casibus iterum usurparentur, auctior quaedam paullatim extitit cognitio. Numero autem hominum multum aucto, accedebat, quod per eorum in alias orbis terrarum partes migrationes dissipationesque, per mores magis excultos, per mutuum, quod inibant, consortium, per colonias ad regiones, quibus asperius clima esset, deductas, et per ipsius soli, quod colebant, indolem, vitae ratio haud parum mutaretur recederetque multum a pristina illa, qua olim essent usi, imo multa et magna corporis valetudini existerent pericula ex bellis ad possessiones aliasque vitae commoditates vel defendendas vel expugnandas non a singulis stirpibus solum, sed ab universis gentibus atrocissime haud raro inter

se gestis. Quid igitur mirum, si multiplicatis tantopere morborum causis, multum adauctus extiterit ipsorum morborum numerus atque complicatio? Causarum vero diversitas insignem quoque faciebat morborum diversitatem. Etenim quum causarum perquam diversa esset indoles et perquam diversus vel in universa corporis systemata, vel in singula eiusdem organa agendi modus, diversa quoque extitit natura morborum, vitam in majus minusve periculum deducentium. In quibus quum hominibus, aptiorum remediorum, quibus illi promte tolli potuissent, ignaris, nihil auxilii esset, nisi in solius naturae medicatricis beneficio, leviores morbos naturae curandos reliquerunt, cam tamen idoneo vitae regimine plurimum juvantes. At vero hanc naturae medicatricis vim in gravioribus morbis, quibus tollendis impares essent ipsius corporis vires, saepissime frustra experti, auxilium aliunde petere coacti fuerunt, certissime confidentes, naturam, quae victum ipsis omnesque ad vitam sustentandam necessitates largiter praebuisset, necessariis quoque ad persanandos morbos atrociores adjumentis haud esse carituram. In qua re eos sponte et admirabili modo juvit ipsa natura, cujus quasi nutu, quod appeterent, in dies magis magisque consequerentur. His accedebat innatum peculiare quoddam, quae salutaria essent, appetendi, quae nociva contra, respuendi rejiciendique desiderium, quod non dubitari potest in hominum simplicissimo vivendi genere longe majus, quam nostris temporibus fuisse, quibus illud, propter compositam magis vivendi rationem, tum in sano, tum in morboso corporis statu obscurius percipitur. Monstrabat autem tale desiderium, quod appetitum naturalem sive instinctum nominamus, viam quasi et rationem, qua organismus posset sibi ipse succurrere; multique sane hoc modo ex morbis restituti sunt. Neque nunc nos caremus hoc naturae nutu. Quem enim fugiat, statu pituitoso laborantes salsa vehementer appetere, scorbuticos herbas recentes, aut acidula, qui inflammatione sunt correpti? Ad quem naturae nutum si recte attenderit medicus, hanc monstratam a natura viam felicissimo successu persequetur. Itaque et hoc modo multa remedia adversus atrociora mala, duce ipsa natura inventa, spem in iis positam haud fefellerunt.

At vero non in omnibus morbis instinctus commovet aegrotum, ut salubriora semper appetat. Deletur enim ille, aut certe multum alienatur a viribus vitalibus, per systematis organive nobilioris alicujus graviorem affectionem, aut per longiorem mali decursum consumtis vel oppressis, ita ut organismus neque propria sua vi morbum superare, neque aegrotus apte de auxiliis necessariis judicare possit. Increscit interim in dies magis morbus, necessitas opem ferendi urget, dolores vehementiores existunt, corpus subit citissimam labem, viresque consumtae interitum brevi adfuturum portendunt. Anxietas mortisque timor ad auxilium, quodcunque oblatum fuerit, usurpandum aegrotum pronum reddunt, affines et amicos, ut opem ferant, implorat, hique precibus permoti, hoc vel illo cibo uti, aquam ex hoc illove fonte bibere, his illisve plantis vel externe vel interne uti suadent. Omnibus, quae commendantur, lubentissime utitur aegrotus, fitque interdum, ut morbi vehementia ex laudatis remediis fracta, vires inopinato refocillentur, ut aegrotus sanitatem recuperet vel saltem malum mitius evadat. Liberatus autem tali modo a morbo, facillime in hanc opinionem adducitur, ut vel sumto cibo, vel aquae usurpatae, vel aliis etiam levioribus pharmacis vires medicatrices attribuat, eorumque suasorem immerito summis laudibus ad coelum usque attollat.

Talium vero remediorum, vel casu fortuito, vel naturae nutu inventorum, cognitio accuratior a populo ad sacerdotes sensim sensimque pervenit, qui summa industria ac diligentia, quae experti essent, colligebant operamque hac in re positam uberrimis fructibus habebant remuneratam. Haec artis medicae sors fuit apud omnes fere antiquos populos, ut Indos, Aegyptios, Graecos, quorum sacerdotes felicissimo eventu aegrotis in templa delatis operam navabant. Ita apud Graecos felici morborum curatione excellebant potissimum sacerdotes Asclepiadei, Epidaurii, Coique, acceptam a majoribus patribusque scientiam sub forma mysteriorum ad posteros hereditario quasi modo propagantes, sacramento adstricti, ne cum aliis artis suae praecepta communicarent et exinde deperditos haberent laboris studiique sui multorum annorum fructus.

Tamen Asclepiadei prohibere non potuerunt, quin procedente tempore et

crescente hominum cultu, tum philosophia a multis exculta, tum naturae studium in dies auctum corporis humani fabricam, functiones processusque morbosos illustrare auderet; quo quidem factum est, ut medicinae principia ac praecepta, paucis adhuc cognita, ab Asclepiadea familia ad multos philosophos medicosque pervenirent. Docet enim illius temporis historia, philosophos non solum in universam naturam, sed in humanam etiam inquisivisse, artis medicae theorias majori minorive fructu excoluisse, imo etiam nonnunquam artem ipsam fecisse. Asclepiadei igitur postquam mysteria, summa antea caligine tecta, palam facere coacti erant, Hippocratica gens, quae tunc temporis Coum insulam inhabitabat, incepit, artem medicam in disciplinae formam redigere, remotis iis omnibus, quae religionis mysteriorumve speciem habere viderentur; unde principia medicinae naturae legibus magis adaptari, ejusque fines duce experientia et fida observatione amplificari coepta, rejectis magna ex parte philosophicis hypothesibus et inductionibus, antea hac in re permultum valentibus.

Hippocrates II., cujus scripta ad nos pervenerunt, medicinae rationalis fundamenta posuit, dum empiricam cognitionem ratione subigebat et a sola experientia omnem artis medicae perfectionem sperans, humani corporis leges et processus tam in sano, quam in morboso statu obvenientes diligentissime observabat, denique vires, quibus natura ipsa ad morbos sanandos uteretur, explicare et illustrare studebat. Admiramur hodie quoque viri ingenium diligentiamque, quam ille in revelandis naturae mysteriis adhibuit, nec quisquam facile sit, qui sibi haud persuasum habeat, celeriores futuros fuisse medicae artis progressus, majoremque ejus fidem et veritatem futuram, si ii, qui postea sese medicinae dedissent, illius viri vestigia exacte ac strenue essent secuti. Sed, proh dolor! brevi post Hippocratem tempore medici, illa, quam Hippocrates secutus erat, via relicta, jejunam observationem spernebant, et a philosophia sola certiora artis principia legesque aptiores exspectabant, quas in morborum exploratione, observatione, curatione et in aestumandis remediorum viribus sequerentur.

Itaque factum est, ut neglecto vero naturae humanae studio, phaenomenorum causas ad intelligendum cognoscendumque difficiliores audacissimis saepe ratiocinationibus et conjecturis a priori, quas dicunt, eruere atque illustrare, tum exinde medicinae systemata condere non dubitarent, etsi carerent idonea cognitionis empiricae historiaeque suppellectili. In qua re etsi interdum non possumus non admirari et laudare ingenii acumen sagacitatemque, fatendum tamen est atque dolendum, illam philosophorum rationem per multa saecula medicos magis minusve a fida naturae observatione abduxisse et largum fuisse multorum errorum fontem. Omnium enim fere aetatum medici non meminerunt, naturam eas leges, quas humana ratio praemature ac praepostere sibi finxerat, saepissime haud ratas habere, ut taceam, permultos ad ea tantummodo attendisse, eaque sola animadversione digna habuisse, quae theoriae vel systemati, quod pro suo quisque ingenio amplexus esset, faverent.

Haec omnium temporum historia egregie probantur. Quo longius enim a natura et observatione artis magistri recedebant, eo citius quoque eorum systemata rejiciebantur evertebanturque a medicis ipsis, qui illorum principia experientia haud confirmari brevi intellexissent. Ita alteri medicinae systemati alterum, haud firmiori fundamento nixum, superstructum est. Quam fortunam quum experta sint omnia veterum pariter ac recentiorum medicorum systemata, clarissime patet, naturam ipsam respuere omnem medicinam, quae, orbata observationis et experientiae fundamento, principiis aprioristicis conjecturisque analogicis superstructa sit, fallaciaque esse omnia, quae ex hypothetico medicinae systemate prodeant ad ipsius artis exercitium praecepta.

Quemadmodum autem omnis disciplina, cujus quidem objectum in sensus nostros cadit, natura vero legesque, quas ista sequitur, a sensuum nostrorum perceptione remotae sunt, ideoque ratiocinatione tantummodo et conjectura explicari illustrarique possunt, observatione et experientia fulcienda est, ita etiam medicina ejusque singulae partes fida observatione et sola experientia locupletatur, neque quidquam in ea potest pro certo haberi, nisi quod mera experientia sit acquisitum. Quod inprimis valet de medicamentorum agendi

modo, eorumque salubri in morbis efficacitate, quam solo usu, non ratiocinatione recte cognoveris. Nihilominus tamen maximi momenti est, istam de medicamentorum viribus agendique modo doctrinam certiorem reddi ac perfectiorem, sine qua non solum in aestimandis studii experientiaeque fructibus vacillet ipse medicus, sed multum etiam aegroti periclitentur, qui vitae et valetudinis curam illi commiserint.

Quare, etsi me, qui peculiari amore in materiae medicae studium incubui, non fugiat, magnam de remediorum agendi modo dissensionem inter omnium aetatum medicos fuisse et nunc quoque esse, sentiamque, neque hujus libelli fines, neque juveniles vires meas suffecturas esse ad recensendas singulas, quas de hac re foverunt medici, opiniones; periculum tamen faciam inquirendi in causas istius dissensionis et medicorum dubitationis, qua non solum multum incerta redditur universa pharmacologiae disciplina, sed singulorum quoque remediorum cognitio multis tenebris obruitur.

CAP. I.

De receptivitate et reactione organismi in actione medicamentorum recte dijudicanda impedimentis.

Minoris perfectionis, qua pharmacologia laborat, duplex causa deprehenditur: altera ipsius methodi, qua vires effectusque remediorum experimentis eruerentur, falsitas; altera caecitas eorum, qui in hunc usum experimenta instituerent et per systematis dominantis commenta seducti, ea tantummodo attenderent et animadversione digna haberent, quae praeconceptas opiniones confirmare viderentur. Sed mittam ego secundam illam causam et me continebo in methodo, experimenta ejusmodi instituendi, accuratius illustranda. Experiundi ratio nunc quoque eadem est, ac quae olim fuit, eamque ipsa tempora sanxisse videntur. Recentiores secuti sunt veteres, et pauci tantum experientia ipsa edocti, de observatorum fide dubitarunt, aut causam inopinati et haud exoptati eventus in aliis rebus, in corpus humanum agentibus, quaesiverunt. At vero quum materiae medicae ejusque historiae studium certiores nos reddat, de fide observationum jure dubitandum esse, ad fontes causasque errorum regrediendum est, quorum primarius inest in ipsa, quam adhibuerunt, virtutes medicaminum explorandi ratione. Quod nunc fusius explanare animus est.

§. 1.

Primum constat inter omnes, organismum, ubi per morbum turbatur, quae ipsi inest, functionum harmonia, alio modo, ac in statu sano, ab incitamentis cujusvis generis irritari, tum alio quoque modo adversus ea reagere. Quod etsi summi hac in re momenti est, vehementer tamen mirandum, id a

plerisque eorum medicorum, qui philosophiae praecepta et ad explicanda tam sani, quam morbosi corporis humani phaenomena et ad instituenda experimenta perlubenter adhibuerunt, prorsus esse neglectum. Sublato enim statu sano, omnem vitalem processum aliis legibus parere, neminem fugit, et manifesta satis est res; nec minus liquet, facultatem organismi adversus externa irritamenta reagendi in statu morboso, quo receptivitas ejus immutata inveniatur, aliam esse debere, ac in prospera valetudine. Morbus nimirum, qui ex laesa harmonia actionum prodit, organismi receptivitatem et vim reagendi ita mutare solet, ut leges, secundum quas istae actiones in statu sano eveniunt, tollat. Saepius observamus, fortiora incitamenta in quibusdam morbis nullum vel exiguum saltem effectum in corpus exserere, in aliis contra mitiora vehementiorem. Vis vitalis, quae labem propriam arcere morbumque debellare studet, morbi vinculis quasi detenta et retardata, justam, qua in statu incolumi gaudet, energiam amittit. Quare, si jam propter has, quas modo diximus, causas medicamentorum effectus in morbis recte percipi et dijudicari haud possunt, illa etiam potissimum medicamenta, quae dynamica sunt, vires vitales, morbo jam mutatas, vel deprimunt vel excitant, ex qua vel depressione vel exaltatione vires ipsae sive per nimiam renitendi intentionem, sive morbi atrocitatem ac vehementiam citius consumantur, necesse est. Accidit etiam, ut, si morbus vel unam corporis partem occupaverit, facultas recipiendi et reagendi reliquorum organorum et systematum imminuatur, in affecta autem parte eaque sola aucta deprehendatur; in qua re magnum inest effectus remediorum recte aestimandi impedimentum.

§. 2.

Morbum cognoscimus ex origine et praesentia symptomatum, sine quibus ille cogitari non potest. Ista proprium, ut ita dicam, organismum conformant atque sinunt de ejus sede et natura conjicere. Percipimus ea vel sensuum nostrorum ministerio vel ab aegroto, aut a cognatis adstantibusve nobiscum communicantur; omnia autem vel sublatam virium harmoniam, vel laesam materiam testantur. Quicunque autem morbus secundum corporis,

aetatis, sexus, causarum propriae indolis et sedis, diversitatem diversa phaenomena habet, ex quibus morbi, quamvis inter se simillimi, discernuntur. Phaenomena illa saepius repentinam vicissitudinem subeunt, quo saepe perdifficilis redditur istarum causarum cognitio. Singula mox prodeunt, mox pari, ac orta erant, celeritate evanescunt, mox iterum redeunt. Hanc phaenomenorum subitam mutationem in complurimis morbis acutis animadvertimus; in chronicis contra constantiora symptomata sunt et rarius, ut ita dicam, scena subito mutatur, rariusque illi naturae operationibus tolluntur, quum vires corporis, longiore morbi decursu debilitatae, ad illorum vim frangendam non sufficiant.

Amplus errori illusionique aperitur campus ex maxima phaenomenorum diversitate, quae fere tanta est, ac corporum, in quibus illa veniunt, multitudo. Remedia autem, quorum vires per usum in morbis explorandae erant, vel analogia duce, vel secundum indicationes, quae naturae morbi superstruebantur, in similibus casibus adhiberi solebant, atque ex eventu effectus eorum salutares dijudicari posse, omnes arbitrabantur. Quod antequam fieri possit, medicus morbi conditionem et rationem perspectam habeat, deinde vero ad mutationes, post sumtum remedium ortas, animum diligentissime advertat, necesse est. Istae vero mutationes triplicis generis esse possunt. Primum enim morbi vis et vehementia statim post usurpatum remedium fracta apparet, mitiora fiunt signa morbi, organismus, vinculis quasi solutus, pristinum statum recuperare videtur, aegrotus ipse vires auctas seque a morbo liberiorem sentit; at vero elapso temporis aliquo spatio res mutatur, morbus iterum caput attollit, eo altius quidem, quo celerius suppressus erat, viresque citissime collabuntur. Videmus igitur, tantummodo pro temporis momento adhibitum medicamentum utile fuisse, et moratum morbum, non radicitus persanari potuisse, nec nisi transitorium effectum habuisse, quo finito, iterum morbus pristina vi recruduerit. Talem remediorum effectum palliativum nominamus, eumque narcoticis inprimis proprium esse, experientia sumus edocti.

Deinde alter casus is est, in quo morbus ex adhibitis remediis vehementior evadit: symptomata graviora fiunt, morbus naturam subigere quasi atque evertere videtur; sed solummodo per breve tempus istae turbae augentur, sensim sensimque decrescunt, aegrotus levamen persentit et organismus celeriter vires consumtas reficit. In quo casu quum celerem talem mutationem alii rei nulli tribuere possimus, concludere licet, remedii adhibiti ope periculum cum ipso morbo remotum ac debellatum fuisse. Contendere tum coacti sumus, remedium specificas vires exseruisse, aut illud inter et morbi naturam magnam affinitatem extitisse, cujus causam in dynamica tam morbi, quam pharmaci ipsius indole positam putamus, quippe qui sensibus nostris mutationes quidem percipere, sed internam mutationis rationem perspicere nequeamus. At vero perdifficile erit, in hac symptomatum turba morbi et remedii effectus a se invicem discernere, ideoque tantummodo ex symptomatibus morbi imminutis judicandum, pharmacum, aegroto exhibitum, aptum fuisse atque idoneum.

Tandem, ut de tertio casu dicam, usus remedii neque naturam morbi mutare, neque illius symptomata imminuere videtur, quum is ab initio usque ad finem stadia justo ordine percurrat, nec breviorem habeat, quam quae ipsi peculiaris est, durationem, denique autem auxiliante ipsa natura valetudo viresque fractae sponte recuperentur, vel etiam, ubi organismus morbi impetum sustinere nequit, morbus totum organismum destruere videatur et vel sensim sensimque ad nobiliora systemata progrediatur, vel subito vitam extinguat, quamvis pharmaca larga et, ex nostra sententia, prudenti manu exhibita fuerint. Quod si accidit, ipse organismus impediisse videtur, quo minus morbus, quem brevi debellare medicamentum non potuerat, vehementior evadat, certusque fit medicus, inter morbum et remedium adhibitum nullam plane rationem locum habuisse, morbique curationem non illius efficacitati, sed naturae ipsi medicatrici tribuendam esse.

§. 3.

Medicus etiam accurate distinguat salutaria naturae conamina et auxilia

a remediorum actione, ne eventum felicem vel remedio vel naturae soli attribuat. In qua re intueatur potissimum Hippocratis exemplum, qui non solum in scriptis suis multus fuit de viribus naturae medicatricibus virtutibusque medicamentorum in morborum curatione accurate inter se distinguendis, sed quum ipse laboraret remediorum penuria, multos quoque morbos periculosissimos haud raro solius naturae operae committendos suasit, eamque praecepit adjuvandam diaeta apta, remotis simul ab aegroto potentiis nocivis externis omnibus. Multos ille descripsit morbos, solius naturae ope feliciter persanatos, tum etiam eos, quibus persanandis non minus impar esset vis naturae medicatrix, quam remediorum administratio. Pauci hujus artis nostrae herois calces pressere, non pari, ac quae in illo fuit, fide naturam observantes et ejus in persanandis morbis beneficium a remediorum effectibus discernere difficillimum negotium rati. In quibus tamen excipio Sydenhamum, Baglivium, Frider. Hoffmannum *), Vogeliumque. Itaque jam antiquiores medici illa naturae in morbis debellandis conamina et operationes crisium nomine insigniebant, legesque, quas natura in iis moliendis perficiendisque sequatur, tum tempus, quo istae prodire soleant, et signa denique crises earumque indolem praesagientia accurate observarunt. Rationes autem, quibus medicatricis naturae conamina a pharmacorum actionibus discernas, physiologia, pathologia et semiotice largiuntur. Morbi, in quibus ejusmodi operationes

---

*) Hoffmanni sententia haec erat: non minimae est prudentiae, distinguere effectus remediorum ab effectibus solius naturae. Etenim in morbo non tantum medicamenta agunt, sed et natura ipsa agit. — Alio loco pergit: Nihil frequentius est, quam quod naturae, immo morbi effectus a vulgo et ignaris medicis pro operatione medicamentorum habeantur ac falso venditentur. Plures vero ex idiotis saepe hac ratione immeritam plane quandam famam callide aucupantur, ut oblato ab ipsis circa dies criticos, quibus sponte solvitur morbus, vel etiam sub declinatione, medicamini subsequentem salutarem effectum tribuant et ignaris imponant. Interim tamen non negandum, remediorum, naturae et morbi effectus non semper a priori satis distinctos comparere, sed prudentissimos etiam saepe in cognitione falli. Medicin. system. Tom. III. Sect. II. Cap. III.

naturae et animadvertuntur potissimum et exspectari possunt, ii omnino sunt, qui vehementia et impetu quodam talem organismum invadunt, cujus aetas et constitutio magnam virium copiam et abundantiam promittit. Huc pertinet magnum morborum acutorum agmen, quorum maxima pars naturae opera sanatur, quamvis interdum accidat, ut naturae vires ad illos fugandos tollendosque haud sufficiant, quo tum morbus pejorem characterem nanciscitur et natura ipsa vehementiori sua contentione maximam sibi cladem affert.

Morbus nimirum acutus, secundum naturam suam brevissimo temporis spatio omnem vehementiam et malignitatem evolvens, et natura, illum vincere suamque sibi integritatem servare studens, conflictum ineunt, cujus exitus saepissime in ancipiti haeret. Mirandum est haud raro, quantum natura viribus suis valeat, quibus tamen interdum consumtis omnibus, organismus a morbi vi opprimitur. Tamen non negandum est, naturae ope acutorum morborum magnam partem sanari, medicumque saepius in iis otiosum tantummodo spectatorem esse, quum isti per crises, summa naturae contentione adductas, judicentur, relicta tantum virium organicarum jactura, ea tamen breviori longiorive tempore elapso facile reparanda. Hoc modo febres inprimis per sudorem et urinam judicantur; non item inflammationes, quae si remediis antiphlogisticis, a nitro inde ad mercurium dulcem et acidum hydrocyanicum usque sanguinis detractionibus universalibus topicisve tractatae fuerint, certa ac legitima stadia sua percurrunt, derelictae autem soli naturae auxilio, deficientibus inprimis idoneis viribus, in suppurationem aut alios morbos secundarios, eosque haud raro periculosos, transeunt. Similis res est in exanthematibus acutis, quae medicorum artem saepius plane non poscunt, sed naturae soli committenda sunt. Efflorescunt et spontaneam habent in cutis desquamatione crisin, febri ea comitanti per crises aptas limites ponuntur, raroque accidit, ut medicus adversus graviora et urgentia symptomata ad remedia confugere cogatur.

CAP. II.

De aetate, sexu, corporis constitutione et vitae ratione in medicamentorum virtute recte dijudicanda impedimentis.

Quemadmodum in morbis et procreandis et peculiari modo conformandis magna vis est aetatis, sexus, constitutionis, vel a parentibus ad prolem translatae, vel in vitae decursu acquisitae, tum temperamenti aliarumque rerum, quae haud leve habent in corpore humano momentum: ita quoque iisdem rebus omnibus medicamentorum effectus varie et peculiariter modificatur mutaturque. Quae quidem opinio, innixa legibus physiologicis, omnem vanae hypotheseos speciem amittit, si phaenomena a remediorum usu producta, altius et accuratius indagare studemus. Qui igitur feliciter atque laudabiliter artem exercere cupit, certa istarum mutationum cognitione instructus esse debet, quo omnia, quae in virium medicamentorum exploratione exinde possunt venire, impedimenta diligenter removere studeat. Sunt autem ea potissimum haec, quae nunc proferam.

§. 1.

Primum aetas magnam facit et receptivitatis et reactionis organicae diversitatem, eamque tam in sano, quam in morboso corporis statu conspicuam. A prima inde usque ad profectiorem aetatem systemata et organa corporis nostri certa quadam ratione ac definito ordine evolvuntur, quo fit, ut actio eorum diversis vitae periodis pro evolutionis gradu diversa sit. In infantili aetate omnis systematum actio inaequabilior invenitur, cum alia ceteris priora officio suo fungantur, alia contra somno quasi sepulta adhuc lateant, donec pubertatis tempus ea expergefacere, omniumque organorum actioni justam vim et energiam tribuere soleat. Tum demum receptivitas reactioni

respondet, quae fortis et constans deprehenditur. Stimulorum nocivorum cum corpore conflictus difficilius virium vitalium aequilibrium tollere potest, quum illorum effectus minori virium impendio removeantur. Seriore aetate receptivitas pariter ac reagendi vis imminuitur, stimuli leviores ob rigiditatem vix percipiuntur, vehementiores autem corpus nimium exagitant, quum receptivitas quidem adhuc vigeat, reactio autem imminuta sit. Accedit, quod tum alia systemata et organa officio suo jam perfuncta sint et quasi praemortua, dum alia adhuc recte satisque vigeant, quo fieri non potest, quin ipsa natura languescat et accedentibus stimulis salutare in corpore receptivitatis reactionisque aequilibrium facile tollatur, sublatumque ipsi vitae majus minetur periculum.

Ex hac diversitate receptivitatis et reactionis, diversis vitae periodis producta, luculentissime patet, varias esse debere remediorum in organismum actiones, quas tamen recte cognitas habere et apte dijudicare debet medicus, cum ex istis complures morborum mutationes repetendae sint, quae diversam quoque medendi methodum postulant. Tam difficile autem est negotium, istorum effectuum peculiares modificationes a spontaneis quasi morborum turbis et naturae ipsius operationibus molitionibusque accuratius discernere, ut saepius certum discrimen inter eas animadvertere vix valeas.

§. 2.

Porro e sexus diversitate receptivitatis quoque reactionisque nova prodit diversitas. Cujus rei caussa inest in ea differentia, quae inter utrumque sexum interest, quantum ad organorum fabricam compositionemque, corporis constitutionem omnino, systematum evolutionem et ipsas functiones variis vitae temporibus a singulis organis perficiendas attinet.

Masculum genus oxygenio abunde praeditum, ac animi viriumque vitalium energia et robore insigne est, et forma et structura sua imperium systematis nervosi et irritabilis in corpore praesagiens, incitamentis difficilius excitari se patitur, at semel excitatum validius quoque in ea reagit. In eo organa et systemata sine ulla insigni turba sensim sensimque evolvuntur, functiones sin-

gulorum organorum difficilius perturbantur, earumque regressio atque cessatio rarius morborum causam praebent, et nullam facile organismo labem aut integritatis periculum adducunt.

Sexui contra sequiori, majori hydrogenii copia praevalenti, major contigit receptivitas et minor adversus stimulos reagendi vis. Reproductio et systema genitale in corpore femineo praedominantur, ejusque ulterior evolutio et, quae ex hac proveniunt, functiones: menstruatio, graviditas et lactatio, tum intrantes, tum recedentes ac cessantes, haud raro vehementiores turbas comites habent, quibus salutare virium singulorum systematum aequilibrium saepissime tollitur et magna exoritur per omnem vitam functionum reliquarum corporis perturbatio. Illas autem, quas dixi, inter utrumque sexum differentias, easque tum in sano, tam in morboso statu conspicuas, dignas esse summa attentione, quotusquisque medicus est, quin intelligat? Quare, si constat, incitamenta diversos habere effectus pro sexus diversitate, morbosque ipsos in altero sexu aliam habere originem, characterem et decursum, quam in altero, dubitari profecto non poterit, medicamentorum in organismum agendi modum a sexuali discrimine multum pendere.

§. 3.

Corporis humani constitutio, quae diversa est pro aetatis et sexus, aliarumque rerum complurium diversitate, non solum ex forma, structura et habitu corporis, sed ex animi quoque corporisque actionibus cognoscitur, proditque ea ex virium robore, quo organismus studet integritatem suam adversus potentias externas tueri. Singularum constitutionum caussas, rationes et leges enumerare, quum nimis longum foret, monere hoc loco sufficiat, ipsa aliqua peculiari corporis constitutione dispositionem ad certa quaedam morborum genera parari, organismum ejusque processus ita haud raro immutari, ut diutius resistere non possit potentiis nocivis, quarum vi et impetu pereat necesse est systematum functionumque aequilibrium. Ex quibus apertum est atque luculentum, per corporis quoque constitutionem multum variari posse medicamentorum efficacitatem agendique modum et rationem.

§. 4.

Videntur neque praetermittenda esse hoc loco temperamenta, quorum discrepantia prodit e notissimorum illorum trium corporis systematum, sensibilis, irritabilis et reproductivi, tum utriusque vitae factoris mutua inter se ratione.

Deprehendimus enim, semper unum ex tribus primariis nostri corporis systematibus et receptivitate et reactione sua ceteris praestare, unde character sic dictus temperamentorum efficitur, qui secundum dignitatem, gradum et ordinem, quo illud in organismo collocatum est, diversus sane redditur. Insigni enim systematis et vel organi cujusdam actione fit, ut potentiae externae prius celeriusque in hoc ac in reliqua agant, atque aequilibrium, quod inter omnia systemata locum habere debeat, jam antea perturbatum, facilius tollatur. In hoc igitur systemate eo, quem dixi, modo morbi focum sibi parant et ab isto rursus characterem accipiunt. Hinc, si tanta est, mutuae inter primaria corporis hujus systemata rationis vis, ut exinde pendeat magna ex parte ipsorum morborum natura, verisimillimum est profecto, medicamentorum agendi modum temperamentorum imperio aliquantum subjectum esse, tum illorum effectus in eo systemate, quod ceteris praevaleat, potissimum esse conspicuos.

CAP. III.

De charactere morborum diverso ac mutabili, in medicamentorum virtute recta dijudicandà impedimento.

Aliud momentum, quod virium medicamentorum explorationem difficiliorem reddit, habemus in characteris, symptomatum decursusque morborum diversitate et varietate, quae pendet a causarum qualitate et quantitate, aetate sexuque aegroti, a corporis constitutione, vivendi ratione, climate, coeli temperie aliisque multis. Rarissime enim deprehendimus duos morbos exacte sibi aequales et pares, quanquam iisdem causis excitati sint et eandem plane indolem habere videantur. Exploratio accurata aliquam tamen, etsi minimam, dissimilitudinem ostendet. Recte igitur acutissimi quique et exercitatissimi observatores hanc morborum ex symptomatibus diversitatem magni momenti esse asseruerunt, eosque vituperaverunt, qui istam nihili aestimantes, morborum dividendorum fundamentum non a symptomatum similitudine et dissimilitudine, sed a causa, quam proximam vel internam morborum dicebant, at vero a priori constructa et a sensuum perceptione remota repetendum esse statuerent. Longe igitur a veritate omnes ii recedunt, qui naturam vel causam proximam morbi, quae plerumque hypothetica est, pro certo discriminis momento habent, et huic soli medendi methodum superstruunt. Nam si accuratius morbos indagamus, edocemur de magna plurimorum inter se diversitate, quamvis medici eos ad unum idemque genus eandemque classem retulerint, intelligimusque, illam dividendi rationem, utpote naturae contrariam, a natura ipsa haud confirmari, sed rejici potius atque sperni. Morbi enim tam diversi reperiuntur, quam natura ipsa, quae eos procreat, varia est. Majori vero jure ac fide ii morbi discernuntur, qui a certo miasmate, natu-

ram suam constanter tuente ac retinente, proficiscuntur, ut syphilis, scabies, febris intermittens, pestis orientalis, febris flava aliique; tum ii, qui similitudinis quidem aliquam speciem cum prioribus illis prae se ferunt, revera autem e miasmate vel causis magis minusve diversis proficiscuntur, uti hydrophobia, tussis convulsiva, arthritis, rhachitis, dysenteria, angina membranacea, scorbutus aliique. Alii morbi e diversissimis, quoad qualitatem, causis oriuntur, sed mutantur aetate, corporis constitutione, multisque aliis rebus, extrinsecus in corporis oeconomiam agentibus. Talis differentia, ut exemplo utar, luculenter apparet in morbis epidemicis endemicisque, quorum singuli proprium characterem tuentur et peculiaribus symptomatibus insignes sunt. Accuratius tamen inter se comparati, tum causis, tum natura, tum symptomatibus diversi reperiuntur. Quare etiam quicunque morbus epidemicus endemicusve diversam et sibi propriam requirit medendi methodum, quam summo studio eruat medicus, qui iis feliciter velit mederi. Atque haec ipsa istorum morborum diversitas impedit, quo minus unum idemque remedium, quod in alio casu multum profuerit priori quidem simili, sed non omnino pari et aequali, cum fructu adhiberi possit, et causa est, cur in morbis istis experimenta instituta experientiam certissimam et indubitatam efficere haud potuerint, quemadmodum et ea methodus, ex qua complura remedia inter se conjuncta in duobus morbis, ex eadem causa ortis, eundem characterem tuentibus, explorantur eo consilio, ut fida experientia existat, haud adhibenda esse videtur. Ex quo fonte innumeri errores in materiam medicam irrepserunt, qui accuratiore disquisitione facile inveniuntur. Medici enim per analogiam seducti et ab observationis sanae via discedentes, remedio cuidam summas laudes haud raro tribuerunt, quod brevi post ab aliis, quibus laudatas vires non probaverunt, neglectum prorsus videmus. Quotiescunque enim non accidit, ut medicamentum, cujus virtutem diureticam aut emmenagogam in uno casu alii experti essent, aliorum, qui eundem in alio casu ex eo effectum sperarent, spem propterea falleret, quod morbus, quamvis priori similis, tamen non aequalis esset et causas alias, alium characterem, aliaque haberet

symptomata. Tale igitur remedium in uno casu salutares virtutes exserere potuit, non item in alio, ab illo diverso, ideoque, quod ille morbus peculiaris et specificus quasi esset, nominabatur specificum.

Res longe alia est in morbis a certo quodam et constante, tum imprimis miasmate, exortis, quod sub quacunque conditione peculiarem semper et sibi ipsi convenientem characterem morbo inprimere solet. Hujus igitur generis morbi, ob causarum et naturae suae constantiam, semper unam eandemque medendi methodum exigunt, docetque experientia, casu fortuito medicamina inventa esse adversus illos, quae virtutes et effectus salutares semper exsererent, hancque ob rem specificorum nomine venirent. Inter haec ipsa contendimus quantam affinitatem et rationem intercedere et peculiarem morbi naturam. Exserunt autem ejusmodi medicamina tales effectus, quos dixi, propterea, quod morbi, adversus quos usurpatur, ejusdem semper naturae sunt, symptomata constantia habent, tum et aetas, et genus, et constitutio et vitae ratio et omnino res externae accidentales vix minimam in iis immutationem producunt. Sed parvus est specificorum remediorum numerus, quamvis eum omnium aetatum medici multum augere studuerint. Multa pro temporis momento hanc laudem usurparunt, brevi post iterum amiserunt, et pauca tantummodo per tot systematum et opinionum vicissitudines diuturniorem gloriam sibi conservarunt, ut belladonna in hydrophobia et recentissimis hisce temporibus in scarlatina, hydrargyrum in syphilide, variolae vaccinae adversus variolas humanas, china in febribus intermittentibus paludosis, arsenicum in cancro, sulphur in scabie, spongiae tostae in struma, atque alia in aliis.

CAP. IV.

De medicamentorum compositione, in eorum virtute recte dijudicanda impedimento.

Quoniam satis diximus in superioribus de iis impedimentis, quae ex corporis conditionibus et morbis ipsis prodeunt, in viribus pharmacorum accuratius observandis atque indagandis, liceat mihi unum adhuc proferre et diligentius pervestigare, quod in ratione ac methodo, qua medicamenta porriguntur, videtur latere. Peritissimi omnium temporum medici *) summum studium in eo consumserunt, ut medicamenta naturae humanae et morborum ingenio quam maxime accommodata exhiberent, conveniuntque omnes, medicamenta quam simplicissima, non composita debere usurpari, si medicus eorum vires et effectus salutares, eosque exacte meros ac incorruptos velit observare. Rationalis medicamentorum administratio ex accurata processuum vitae observatione et dijudicatione prodit, tum e sedula indagatione virtutis dynamicae, cui remediorum effectus tribuimus, et qua ipsa medicamenta potentiarum, quas dicunt, medicatricium vim et laudem nanciscuntur, id est, eam, ex qua corporis nostri vim vitalem quopiam modo afficere et permutare valeant; eaque de causa differunt a nutrimentis. Cujusvis igitur pharmaci effectus producitur conflictu propriarum ejus virium cum virtutis vitalis, organismo humano insitae, potestate atque efficacia.

Vis vitalis organismi humani ipsa a priori quidem cognosci non potest,

*) Arnold de Villanuova dicit: qui potest mederi simplicibus, dolose et frustra quaerit composita. vid. op. omn. Frider. Hoffmannus idem pronunciat, dicens: Haud leve obstaculum peritiori in medicamentis cognitioni objicit, quod rarissime simplicia, sed ut plurimum composita, nec haec sola, sed aliorum usu interpolata usurpentur. Medic. rational. T. III. c. 3. §. 10.

sed colligimus eam, et praesentem quasi conjicimus ex phaenomenis, quae ipsam manifestant. Hanc vim tanquam spiritum rectorem aliquem arguimus in omnibus processibus vitalibus, qui nec physicis, hydraulicis et mechanicis, nec chemicis legibus, nec aliis, ut galvanicis aut electricis, obtemperant. Vis vitalis materiam ipsam, quam inhabitat, ut ita dicam, procreat, eam vivam reddit legesque eas tollit, quas materies organica, demta illa, sequi solet, ideoque quodammodo prohibet, quo minus corpus animale vivum vel gravitatis et ponderis, vel decompositionis legibus obtemperet. Neque tamen cogitari illa potest sine materie animali, cujus utriusque mutua ratio non alia est, ac quae intercedit inter causam et effectum. Denique et illa vi in corpore humano sensatio et actio efficitur, utraque ad integritatem et incolumitatem servandam admodum necessaria.

Quum igitur status organismi normalis a vis vitalis integritate pendeat, haec autem ab omnibus irritamentis vel absolute-, vel relative-externis peculiari modo afficiatur, concedendum est, actionem et effectus istorum stimulorum dynamicos esse debere, non adstrictos chemicis, physicis aut mechanicis legibus, sed illis potius statum produci dynamicum alienatum, et aequilibrium singularum virium et actionum sublatum. Talem statum morbum appellare solemus. Tamen necessarium est, ut viribus vitalibus alienatis materies quoque postea peculiari semper modo mutetur; quam tamen materiae commutationem ad oculos demonstrare vel rationibus a priori definire non valemus.

Nunc vero, quum incitamentis in universum actio dynamica denegari haud possit, medicamina autem pro irritamentis habenda sint, quum vim vitalem aliquo modo afficiant et mutent, iis quoque dynamica actio summo jure tribuenda est; ideoque unum remedium vi sua dynamica sufficiet ad sublatam virium vitalium harmoniam ita restituendam, ut normalis actio et aequilibrium inter singula systemata et organa brevi redintegretur. Contra rationis principia itaque pugnaret, qui complura remedia adversus morbum adhibere vellet, cui persanando unum esset suffecturum. Notissimum enim est, idem reme-

dium in complura simul systemata et organa agere, peculiaresque effectus in iis producere, quum illa tam arcte inter se cohaereant, ut affecto uno alterum quoque afficiatur; quam remediorum cum pluribus systematibus organisque quasi affinitatem narcoticorum exempli gratia testatur effectus in nervos et vasa sanguifera, tum cantharidum in organa uropojetica atque genitalia. Quare perversa est opinio, si quis putet, medicamenta vim suam exserere in singula et quasi separata organa.

Usu porro pharmacorum compositorum multum turbatur, imo plane impeditur effectuum singulorum medicaminum certa observatio et aestimatio. Si enim unicuique remedio virtutes propriae, eaeque dynamicae inhaerent, quod supra diximus, complurium pharmacorum conjunctione et compositione talis oritur, ut ita dicam, virium diversarum, saepissime plane sibi invicem oppositarum commixtio, ut illae aut prorsus pereant, quippe se invicem veluti destruentes, aut, quod a medicamenti majori minorive dosi dependet, unum tantummodo pharmacum vires suas exserere et conspicuas reddere possit. Unde omni jure asseri potest atque contendi, ex complurium pharmacorum conjunctione alium plane, ac quem expectaverat, effectum habere medicum, eumque, licet singulorum pharmacorum virtutes recte habuerit perspectas, illorum conjunctorum effectum neque accurate praesagire, neque apte dirigere posse. Est enim haec lex per totam naturam organicam regnans atque dominans, ut nullum corpus cum alio conjungi possit sine majori minorive naturae suae et partium constitutivarum commutatione aut jactura.

Denique monendum est, complures pharmacorum compositiones chemicis legibus aperte adversari, dum partes constituentes singulae secundum affinitatis leges vel a se invicem recedant, vel sibi invicem nubant, quo necesse est, compositum tale medicamentum magnam decompositionem alterationemve subire.

Fieri etiam potest, ut, ubi plura pharmaca conjunguntur, hoc unum eorum alterumve, cujus vis tali cum aliis conjunctione non sublata fuerit, breviori longiorive temporis spatio, quam reliqua, effectus suos exserat, tum-

que medicus dubius haeret, cuinam remedio has celeriores aut seriores et longiores effectus adscribere debeat; quod haud raro accidit in morbis chronicis, in quibus salutares effectus saepius medicinae ultimo tempore adhibitae attribuuntur, etsi a remedio jam ante illius usurpationem adhibito derivandi sint.

Ex his omnibus luculenter patet, et leges organismi animalis et rationem ipsam poscere, ut medicamina nonnisi simplicia adhibeantur, quibus solis conceditur peculiaris effectus et virium medicamentis propriarum accuratior observatio. Hac enim, quam dixi, eaque una via differentia virium medicaminum dilucide apparebit, magnumque et verum incrementum capiet pharmacologia, quae nonnisi experientia magis magisque excoli potest atque perpoliri.

EPILOGUS.

Non inutilem suscepisse midi videor laborem, cum in scriptione mea notarem et illustrarem primaria quaedam impedimenta, quibus propriarum medicaminum virium accuratior cognitio adhuc premitur. Unusquisque enim sibi persuasum habebit, medico non magis opus esse sana pathologia, quam rationalis materiae medicae praeceptis, nihilque juvare optimam morborum cognitionem, nisi simul teneamus, quo optimo modo eos persanare genusque humanum ab iis liberare possimus. Quare accurata virium medicamentorum exploratio majoris pretii aestimanda est, quam morborum, quos iis sanamus, admodum subtilis ac multiplex disquisitio; estque hac in re medicus persimilis cuivis artifici, qui instrumentorum suorum necesse est

plenam et accuratissimam habeat cognitionem, antequam iis ad perficienda sua opera recte uti possit. Neque quisquam erit liber a praejudicatis opinionibus et oculis haud obnubilatis, qui nostrae disciplinae studium sedulo fuerit secutus, quin intelligat, artem medicam manceam adhuc et quodammodo incertam esse longeque adhuc abesse a perfectionis fastigio. Lugent enim omnes medici, plures extare morbos, qui omnium medicamentorum, quotquot hucusque detecta fuerint, virtutes spernant et citato pede ad mortem ducant. Nam etsi sint quaedam remedia, quorum salutares virtutes a magnis artis nostrae magistris multum celebrentur, plerumque tamen accidit, ut alii, non minorem auctoritatem inter medicos consecuti, istis sese opponant, et quae ab illis laudata sint, perstringant ac vituperare haud dubitent.

Cujus repugnantiae exemplis ditissima est omnis materiae medicae historia, et gravissimum exinde inprimis tironibus nascitur detrimentum, qui, propria experientia destituti dubii haerent, cuinam commendationi in eligendis remediis fidem habeant.

Investigandis vero illis, quae enumeravi, virium medicamentorum recte aestimandarum impedimentis, facilior absque dubio redditur ipsarum medicamentorum virtutum, quas auctores nobis tradiderunt, dijudicatio, regulisque hinc inde repetitis amplissimum pharmacologiae campum accuratius perlustrare et vera a falsis dubiisque facilius discernere possumus, haud raro mirantes, ex tot saeculis, quibus medicina floruit, non uberiorem qualitatum medicamentorum thesaurum earumque cognitionem certiorem extitisse. Quare etiam factum est, ut ex immensa pharmacorum in usum receptorum et majori minorive laude ornatorum multitudine pauca tantummodo essent, quae partam gloriam per tot saecula, per tot systematum opinionumve commutationes sibi conservarent, eaque non possumus non mirari, ex illorum imprimis numero esse, quae non ab humani ingenii acumine inventa sint, sed casu fortuito detecta, imo saepe ex medicina domestica, quam dicunt depromta

atque ad artis exercitium traducta. Sed extant adminicula satis multa, quibus pharmacologiae disciplina multum excoli possit atque promoveri. Eorum primarium est in accuratissima observatione, qua sola incerta invenire atque missa facere, vera autem eruere atque amplecti possimus.